~~27~~ 26

REGIA PROVISIO FACTO VERBO FACTA, IN CAUSA POSSESSORIJ MARCHIONATUS de Pons 27. Junij 1696.

IN FAVOREM

ADMODŨ ILLUSTRIS DON VINCENTIJ DE CARDONA ALAGON, BORJA, ET MILAN

Marchionis de Castelnovo, & de Pons, Regij Consiliarij in S. S. R. A. C. & Cubicularij Dominæ nostræ Reginæ.

SUPER EXCLUSIONE VISURÆ INSTATÆ PRO PARTE ADMODUM ILlustrium Archiepiscopi, Episcopi Maioricarum, & Marchionis de Villatorcas etiam Regij Consiliarij in S. S. R. A. C.

REFERENTE NOBILI AC PERDOCTO ANTONio de Vilaplana Regio Conciliario meritissimo.

In Actis
Petrus Abadal Nott.

Barcinonæ: Ex Typ. Martini Gelabert, coram Rect. Virg. Mariæ de Pino. Anno 1696.

✠

DIE 27. Junij *1696*. Viſo proceſſu, & partium altercato, an ſcilicet locus ſit viſuræ, pro parte Admodum Reverendi in Chriſto Patris Don Petri de Alagon Archiepiſcopi Epiſcopi Maioricarum, & Illuſtris Don Joſephi de Caſtellvi, & de Alagon Marchionis de Villatorcas, Regij Conſiliarij, in Sacro Supræmo Aragonum Conſilio, inſtatæ; cum res ita exigat, ad effectum (vt aſſerunt) ocularitec inſpiciendi citum, & qualitatem Caſtri Villæ de Pons Diœceſis Vrgellen.; Nec non recognoſcēdi ambitum, & circuitum ejuſdem Villæ, & Locorum adjacentium illius, extentionem, ac diviſionem Terminorum eorundem; Cui prætentioni extitit cōtradictum, per Illuſtrem Don Vincentium de Cardona, & Alagon Marchionem, de Caſtellnou, Regium Conſiliarium in Sacro Supræmo Aragonum Conſilio, Viſis articulis, ſcedulis, ac deductionibus hinc, inde oblatis, cunctiſque alijs videndis viſis.

Attento conſtat, per inſtatam viſuram, reſpectu prædicti Caſtri de Pons, tantum, poſſe probari, partem aliquam illius permanere, cum propé totum, multis ab hinc annis demolitum reperiri liqueat, ſicque qualitatem illius, videlicet, terminatum eſſe, ac vti tale, ab vltimo Majoratus poſſeſſore fuiſſe poſſeſſum tempore quo vixit, & deceſſit, & in eo adeſſe requiſita eſſentialia, apud nos, Caſtrum terminatum conſtituentia oculari intuitu, percipi non poſſe: Conſtat pariter, per memoratam Loci inſpectionem, non intendi actum aliquem poſſeſſorium, ſed juris iuſtificare, ac in hoc ſummariſſimo immiſſionis judicio, ſolum admitti probationes poſſeſſorium reſpicientes, non autem illas, quæ ad jus, & proprietatem diriguntur, qualis eſt articulus pertinentiarum dictæ Villæ de Pons, qui in præhabita viſura probari prætenditur:

Constat insuper, in judicio possessorio summarissimo, probationem per evidentiam facti, ex Loci visitatione, fore admittendam si de re, seu possessione, quæ oculis corporeis cerni possit disceptetur; cum superlativa probatio dicatur; Non vtique faciendum esse accessum, si ex Loci inspectione, nihil de re, seu possessione percipi valet (vt in occurrenti casu) nam cum nunc, non sit profutura, vti supervacanea venit rejicienda.

His igitur, & alijs meritis processus attentis, & aliàs, facto verbo in Regia Audientia. Providet supradictę Visuræ, per memoratos Admodum Reverendum in Christo Patrem Don Petrum de Alagon Archiepiscopum Episcopum Maioricarum, & Illustrem Don Josephum de Castellvi, & Alagon Marchionem de Villatorcas Regium Consiliarium in Sacro Supremo Aragonum Consilio instatæ, locum non esse, non obstantibus in contrarium deductis, articulo expensarum reservato, & pro bistractis solita fiat executio, & intimetur.

DE VILAPLANA.